

## Extremo Judicio.

## I.

**P**articulare judicium, ut ante, ita & post mortem in quâlibet animam latum, Joh. III. 18. eidemq; vel damnationem vel salutem addicens, Ap. XIV. 13. Phil. I. 23. non tollit judicium universale & solenne, quod sententiam fert in totum compositum. Matth. XXV. 31.

*II.* Ineptè à Greg. Franco pro signis extremi diei propriis venditantur, tum maculæ solares, tumquod sol ex Mathematicorum calculo XXXVI. se mediamentris terræ nobis appropinquaverit magis quam antea.

*III.* Neque Ecclipses neque Cometæ inter signa extremi diei propria merentur recenseri.

*IV.* Per signum Filii hominis, jamjam venturum demonstrans, omnium probabilissimè intelligitur majestas venientis, consistens & in splendore corporis Christi & in claritate nubis, cui insidebit & in comitatu angelico perquam glorioso & in sonitu vocis, instar tubæ, vehementi atq; terribili. Matth. XXIV. 30.

*V.* Locus extremi judicii, quia nusquam revelatus, impunè ignoratur.

*VI.* Provocatio ad vallem Josaphat, ut ipso nomine superstitiosa, ita quoad rem ipsam Christianæ erga proximum charitati est adversa. Matth. V. 44. Act. VII. 60.

*VII.* Publicabuntur generaliter in hoc judicio, sine ullâ tamen exprobratione, immò cum laude ob actam de iis poenitentiam, etiam electorum peccata, sub prædicatâ ubiqve Scripturarum & rerum & personarum judicandarum universalitate comprehensa. Ap. XX. 12. Eccl. XII. 14, Rom. XIV. 10. 12. Hülfemannus. Scherzerus.

*VIII.* Norma extremi judicii Evangelium est, cui credendo salvabuntur fideles & non credendo condemnabuntur impii. Joh. III. 18. Marc. XVI. 16.

*IX.* Unum datur tantum extremum judicium & unus dies extremus, quo Christus non partem mundi, sed universum mundum judicaturus est. Joh. V. 28. 29. VI. 39. 40. XI. 24.

*X.* Idque conjunctum erit cum æternâ gloriâ salvandorum & æternâ poenâ damnandorum, Matth. XXV. 31. 46, & cum consummatione universi. II. Petr. III. 4. 10.

*XI.* Non potest certo & solido argumento demonstrari, ullam fuisse inter Cerinthi & Papiæ chiliasmum differentiam. Nec saniores Judæi unquam

quam